



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

3. Ex cleme[n]tia Dei, bonitas illius agnoscitur, nostra excitatur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45653**

Hac omnibus creaturis se communicat, sed intelligentiâ præditis, modo insuper peculiari; nempe sub vltimi finis ratione. ad quem vt nos dirigat perducâtque, donis cumulat, & ijs, quibus nos, tanquam causa efficiens naturalis, conseruans, prouidens que regit; & per quæ efficiamur *diuina consortes natura*, vt dixit, quem S. Dionysius *Theologorum decus supremum & antiquissimum columen* nominauit. Inter hæc dona autem, sunt variæ virtutes, quas nos vult (etiam indignis benefaciendo) docere.

S. Dionysius  
cap 3. diuin.  
nom.

Prima est, vt hanc ipsam bonitatem, in Deo, agnoscamus & credamus. Nam, vt Clemens Alexandrinus dixit: *bona facere, est Dei natura, vt ignis calefacere, & lucis illuminare*. Sic multorum natura, aut malitia potius velut in naturam versa, est *mala facere*, omnes accusare, omnes calumniari, omnes offendere, instar echini, vbicunque eum tangas, aculeati; immo instar *decem cornua habentium* diabolorum. Secunda causa est, vt sciamus, vnde & nos boni fieri possimus, atque ita in spem erigamur. Nam, vt vel Hermetes tradidit, Deus est *bonum bona faciens, bonum efficiens*: vel vt Plotinus docet, *Deus est bonum, cetera bona, vt amari possint, quasi colorans, & hoc ipso amabilia reddens*. Apelles te bonum pictorem; Praxiteles bonum sculptorem, aut statuarium; Galenus bonum medicum; Deus bonum hominem faciet, vt nôris, à quo magistro discere debeas pietatem. Tertia causa est, vt homo, se, cum diuina gratia, bonitatis illius capacem faciat. Siquidem, vt ex mente Platonis Alcinous loquitur, *Deus bonus est, quoniam in omnia, pro cuiusq; facultate, sua beneficia confert, cum omnis boni causa sit*. Vt ergo minus vasculum minus balsami capit, & in maiore plus potest comprehendi; sic diuina bonitas in eos se se copiosius effundit, qui sinum magis dilatant. Audi Saluatorem: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Vbi D. Gregorius ait: *Tanto ergo amplius peccati rubigo consumitur, quanto peccatoris cor magno charitatis igne concrematur*. Nam utique qui ex amore Dei magis dolet, se Deum offendisse, venia se reddit digniorem, capaciôrque fit maioris gratiæ diuinæ infundendæ. Sic oleum stetit, cum vas non superesset; quod tam diu fluxit, quàm diu filij matri suæ oleum infundenti vasa offerre potuerunt.

III.  
Clem. Alex.  
l. 1. Strom.  
c. 8.  
Apoc. 12. 3.  
In Piman-  
dro c. 4.  
Plotin. En-  
nead. 6. 1. 7.  
c. 22.

Luc. 7. 47.  
4. Reg. 4. 5.

Quarta causa est, ne nos à benefaciendo excusamus, dicentes, littus frustra arari, & nequicquam in saxis seminari: esse enim homines quosdam, sicut ficum aridam, sicut terram sterilem,

IV.

Fff lem,